

Perilluosis ac Nobilissime Domine, 1800

Obtinui nuper, et tuo quidem favore, à  
Serenissimo Principe Laris Securitatem, quã  
nitens, in praedio meo Ulhem sedem collocarem.  
Hoc beneficio non solum Parentem meum  
tibi sensi carum esse, sed me quoque  
perpetuo nexu obstrictum. Nescio tamen  
quae saeva sors transversum fiduciam meam  
rapiat, gaudiumque feliciter concitatum  
sufflaminet. A militibus Bergomensibus  
publica fides secundo jam infracta est;  
qui spreto Liberi Laris literis, violentã  
etiam manu ex ipso me praedio meo in  
silvas abduxerunt, minis eo progressi, ut  
non nisi pecuniae subsidio liberari potuerim.  
Interiectis deinde paucis diebus, ab aliis  
ejusdem Praesidii militibus iterum invador,  
qui, cum de Socero simul meo ageretur,  
et summam Centum et quinquaginta flo-  
renorum spernerent, spreto etiam Immuni-  
tatis Diplomate, Bergam versus, per ambages  
et tesqua dumeeta abducunt. Quid factum?  
Non procul Arce Grobbendonequiana, cum  
ad Pullensem pagum appropinquarem,

J. M. S.  
nr 187.

J. M. S.  
nr 187.



undecimâ noctis horâ a Regiis militibus ex  
horreo quodam subito erumpentibus societas  
nostra misere dispersa est: explosione enim  
decem simul sclopetorum facta, inter cadentes  
fugamque capessentes, Deo protegente,  
illaesus evasi, et aviam sequens viam,  
Lyram, et deinde Lovanium properavi, ut  
tristem ac sollicitum Parentem meum (cui  
jam fama captivitatem meam indicarat)  
novo gaudio recrearem. Pergit ille tamen  
curas, volvere et angere, quia Bergenses  
pergunt milites me praediumque meum  
obnoxium violentiae habere. Documenta  
quaedam et Attestationes nuper miseram,  
ut de Soceri innocentia securus esses,  
tumque in me beneficium sine impedimento  
fluere. Adhuc igitur rogo, ut Laris  
Securitatem quam tua mihi benignitas  
impetravit, stabilitam esse velis: fiet id  
autem, si Consilium Militare Bergozomense  
de voluntate Principis moneatur, data

\* Civis Bergensis, et  
Soceri mei sponsor,  
qui ex ejusmodi tricis  
solitus est lucrum  
captare.

\* SANDEO cura, ut is examinata immunitatis  
controversia, rem componat. Venire ego  
ipse in Hollandiam gesto, ut Auctoritatem  
captare.




184  
181

Illustrissimorum Ordinum implerem, et tam  
manifestam iniuriam à militibus Bergensibus  
Socero meo illatam exaggerem; sed imprimis  
venire gestis, et tibi uni gratiam referam,  
cui me felicitatis meae magnam partem  
debere profiteor. De lacubrationibus  
Optimi Parentis nihil iam dico; acceperis  
enim quae de Bibliothecis postremo edidit,  
ubi Auspicia Bibliothecae Lovaniensis divul-  
gantur. Quarta nunc Epistolarum Centuria  
Novi Apparatus typographus in manibus  
habet. Quamprimum in lucem aliquid  
prodibit, efficiam ut ad Te veniat.  
Sic à Parente plurimum salve, et diu  
feliciterque producere vitam perge.  
Lovani, in Arce, XIV. Kalendas Maias,  
æ. DC. XXXIX.

Virtutis et Dignitatis Tuae  
perpetuus cultor

Iustus Caecilius Puteanus.





*[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is largely illegible due to fading and bleed-through.]*



*[Handwritten signature or initials in the bottom left corner of the page.]*